



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Directo-||rvm Exercitio-||rvm Spriritva-||livm P. N.|| Ignatii**

**Acquaviva, Claudio**

**Ingolstadii, 1592**

**VD16 A 125**

Capvt II. Quomodo dispositus esse debeat, qui ad exercitia facienda  
accedit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60966](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60966)

parte se colligant, vnde non nisi ad missam, & Vesperas egrediantur, aut quando ad meditationes accipiendas veniunt, hisque addi poterunt, si ita videatur, aliqua exercitia, vt triplex modus orandi, & similia. Hæc Pater Ignatius, quæ eadem, licet paulò breuius, habentur etiam in Const. p. 7. c. 4. lit. F.

*Quomodo dispositus esse debeat, qui ad exercitia facienda accedit.*

## CAPVT II.

**Q**VI ad exercitia agenda aggreditur, primo eniti debet, vt intelligat quanta sit res, quam aggreditur, nempe quæ non solùm ad animam pertineat, sed ita pertineat, vt si modo ea diligenter præstet, quæ debet, iacturus sit fundamenta spiritualis sui profectus, quæ deinde tota eius vita vsui futura sint. Ex quo intelligat quantam alacritatem, & diligentiam, & fortitudinem etiam ad tantum opus, tantumque negotium afferre debeat.

ITAQUE statuat ipse secum viriliter agere, & omnia impedimenta diuinæ

næ



næ gratiæ reiicere, & omnes animi sui vires intendere, vt huic gratiæ cooperetur, & se ad eam recipiendam quàm poterit optimè disponat. Hanc ob causam ab omnibus aliis negotiis domesticis priùs se expediat, vel certè ea aliis interim committat, ac toto tempore omne sibi amicorum, ac familiarium immò etiam nunciorum, aut litterarum commercium interdicit. hæc enim mentem implere solent variis cogitationibus, quæ deinde magnopere distrahunt, & conceptum, si quis est, feruorem restringunt. Immo vero omnem etiam aliam cogitationem de quauis alia re excludere curet, perinde ac si nulum aliud negotium in hoc mundo haberet.

HABEAT deinde magnam spem in Domini bonitate, & liberalitate, qui cum etiam errantes requirat, & fugientes sequatur, multò magis qui ad se bono animo accedunt recipiet, & complectetur. Quare confidat in illa infinita clementia, quæ cum pi-um illud desiderium dederit, dabit etiam gratiam, ac vires exequen-  
di



di benè, ac fructuosè, siquidem eius voluntas est sanctificatio nostra.

INTER cætera vero ita etiam animo constitutus esse debet, vt libenter & auide exercitia hæc aggrediatur nõ tam, vt spiritali dulcedine fruatur, quàm vt Dei voluntatem de se intelligat, suumque affectum à terrenis omnibus auellat, & eum in suo Creatore collocet.

ILLVD vero maxime necessarium, vt præter hoc desiderium proficiendi in spiritu, sit etiam bene resignatus in beneplacito Dei, in iis in quibus adhuc liber est, itaq; animo paratus sit, vt quicquid à Deo cognouerit faciendum esse, omnino exequi decreuerit. Quare non debet quisquam deliberationem aliquam secum afferre, à qua dimoueri nolit. Deinde non debet etiam modum ac terminum ipse ponere Dei donis, ita vt vsq; ad quosdã limites se illuminari, ac iuuari velit, non autem amplius. Nam præterquã quod valde indecens est, vt creatura hoc modo agat cum suo Creatore, valde etiã sibi ipsi nocet, primum quia seipsum priuat illis maioribus donis,



donis, quæ Deus fortasse daturus erat; deinde quia illa ipsa illiberalitas, & restrictio, & ingratitude in Deum meretur, ut ne ea quidem accipiat, quæ vellet accipere. Quare debet potius animi sinū dilatare, ut quàm maximè possit, sese cum Deo coniungere, & quàm maximè ab eo ditari, & locupletari thesauris istis cælestibus desideret. Atq; hæc quidem obseruanda sunt ei erga Deum.

ERGA eum vero qui daturus est exercitia, ita se gerere debet, ut eum accipiat, ut magistrum, & ducem huius itineris dubij, & periculosi, & ideo etiam si alioqui prudens sit, vel doctus, & in rebus agendis exercitatus, tamen pro hoc tempore non confidat suæ prudentiæ, vel doctrinæ, sed totum sese committat huic suo duci, ac quemadmodū ait Apostolus, Stultus fiat, ut sit sapiens, illudq; B. Petri monitum exequatur, sicut modo generati infantes sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Itaque instructorem suum ita intueatur, tanquam Dei instrumentum ad hoc sibi missum, ut eum dirigat, & perducatur  
per



per eam viam, quæ ad vitam ducit. Quam ob causam cum omni reuerentia, & alacritate, & confidentia excipere debet, quæ ei proponet. Præterea nihil eum celet, nihil dissimulet, sed sincerè totum cor suum ei patefaciat, & candidè referat quomodo singulæ meditationes successerint, quas in eis, vel extra eas reliquo tempore consolationes, desolationes, lumina, vel bona desideria senserit. Deniq; obediat ei in omnibus perfectè, neque alias meditationes, aut alium ordinem teneat quàm ille præscripserit, idemque in pœnitentiis, & corporis castigationibus; & in summa hoc sibi persuadeat, quò diligentius, & exactius illius ductum sequetur, eo aptiorem fore ad Dei gratiam largius accipiendam, quia illa humilitas, & illa simplicitas valde Deo placeat, & cum talibus est eius sermocinatio.

HÆC igitur necessaria quidem sunt, vt plenior fructus eliciatur. Sed tamen si is, qui tradit exercitia timeret, ne si omnia proponat exercitanti, fortasse eum deterrerent, ac retraherent,



herent, melius esset, vel aliqua tantum horum proponere ab initio, vel non admodum exaggerare, sed postea cum gustu spirituali eum affici viderit, magisque capacem ad hæc portanda, tunc eum paulatim excitare ad exercitia peragenda cum omni perfectione.

Sunt etiam alia, de quibus monendus est qui facit exercitia, sed quia hæc continentur in annotationibus, vel regulis scriptis in libro exercitiorum, non est quod hic repetantur. Hoc tamen de iis addendum, debere eum omnem diligentiam ponere in eis obseruandis, quoniam quò diligentior in hoc fuerit, eo citius, & vberius inueniet fructum spiritualem, qui quæritur.

Illud etiam in particulari attingi potest, non debere eum legere nisi scripta, quæ ei traduntur, nec libros habere in cubiculo, vt occasio legendi præcidatur, præter Breuiarium, si Sacerdos sit, aut Officium Beatæ Virginis. Si tamen instructori videbitur, posset in prima habdomada legere librum Gersonis de imitatione Christi,



Christi, in secunda aliquid ex Euangeliis, & Sanctorum vita, vt dicitur in annotationibus post primam meditationem secundæ hebdomadæ. Sed has vitas sanctorum oporteret esse selectas, & valde accommodatas ei, qui facit exercitia, vt si esset vxoratus, oporteret ei tradere vitam alicuius qui sanctè vixisset in sæculo, similiter in religiosis, & in aliis similibus. Quare is labor, & diligentia esse deberet instructoris in idoneis seligendis. Porro in Euangeliis non debet legere nisi illud mysterium, quod eadem hora, vel die est meditaturus, vt habetur in primo notab. post quintam contempl. 2. hebdomadæ. Tamen si post factam meditationem tædio affici videretur, ac potius tempus perdere, posset etiã, vt dictum est, addi aliquis alius liber, vt prima hebdomada Dionysius Carthusianus de quatuor nouissimis, Cõfessiones S. Augustini, aut similes; hoc aduertendo, vt non solum boni, & vtilis sint, verum etiam apti, & opportuni ad gignendum illum affectum, qui eo tempore in exercitiis quæritur, vt contritionem, vel timorem, vel  
Dei



Dei amorem. Quinetiam monēdus est, & docendus vt ipsam lectionem dirigat ad meditationem, nimirum non legendo cursim auuiditate sciendi, & videndi noua, sed immorando, & perpendendo accuratè ea quę legit, & intrando in eodē affectus.

Quod de legendo dicitur, idem de scribendo dicendum. Nihil enim aliud scribi debet præter ea quę pertinent ad orationem, nempe puncta aliqua, quę Dominus communicauerit in meditatione, vel extra etiam meditationem, quę tamen breuissimè notanda sunt, non diffusè per modum sermonis. Hęc autem puncta possunt esse duplicis generis, vel practica quę pertinent ad agendum, vt sunt desideria quædam, aut firmę deliberationes faciendi aliquid, vel quę pertinent ad cognoscendum, vt sunt quædam veritates, aut lumina circa aliquam materiam, vt alicuius virtutis v. g. humilitatis, contemptus mundi, patientiæ &c. vel etiam in aliqua materia meditationis, vt incarnationis, vel passionis Domini, & similia, eiusmodi præsertim, quę sint quasi

B

axio-



axiomata quædam, & viam aperiant ad bene percipiendas, & meditandas illas materias.

Sed illud cauendum, ne vel legendi, vel scribendi dulcedine ita se quispian distineri sinat, vt tempus eripiarur meditationi, aut etiam præparationi ad meditationem. Semper enim aliquantò ante meditationem debet omnia relinquere, & omnino suam cogitationem conuertere ad puncta illius exercitij quod iam instat. Addo etiam, cauendum hoc quoq; ne nimis legendo, aut scribendo defatigetur animus, & quasi vires eius exhauriantur, oportet enim saluam semper relinqui meditationem, & cætera omnia huic vni seruire.

Qui exercitia exactè facere volunt, viresq; idoneas habêt, iis quinque horæ meditandi quotidie præscribi solent, prima circa mediam noctè, quod tempus propter quietè, ac profundum silentiũ valde aptum est meditationi; secunda sub auroram, tertia paulo ante prandium, quarta post meridiè, quinta sub Vesperam, & post vniuscuiusq; horæ meditatio-



tionem quadrans etiam ad examē præcedentis meditationis. Cum aliis, qui debilioris sunt valetudinis, vel tam exactum modum seruare non possunt, dispensari poterit de hora mediæ noctis, ita vt quatuor horæ maneant, aut etiam pauciores, si instructor ita expedire iudicauerit. Vt verò plures sint quàm quinque rarò continget, vt expediat. Nam cum nimis continuantur hæc exercitia mentis, ita retundi solet, vt obtusior etiam reddatur intellectus, & voluntas minus efficax.

*De loco exercitiis idoneo, & de quibusdam particularibus.*

## CAPVT III.

**L**OCVS ad facienda exercitia non est dubium, quin debeat esse remotus ab hominum concursu, & aspectu etiam maximè familiarium. Ita enim monet Pater N. Ignatius annotat. vltima, vbi etiam trās eius rei commemorat vtilitates. Quare si exercitans alibi, tam commodè, & tam fructuose non potest, & Superiori ita

B 2

videa-